/

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
TUMORE ALBIDO.

AUCTORE JACOBO GORDON.

Morbus, qui vulgo Tumor Albidus nominatur, duas in species, Scrofulosam nimirùm et Rheumaticam, auctoribus divisus est; quarum illa in Britannia, hæc autem in Continenti sæpius apparet. Huic morbo nomen colore albo cutis impositum est. Vulgo etiam haud raro Anglicè "*Income*" dicitur, propter fallacem tardumque modum in quo irrepit, sine causa evidente sæpe oriens.

A

Edinburgh
1815



Species Scrofulosa morbi, de quo sermo nunc præcipuè agitur, auctoribus systematicis in varietates, quæ primò ossa, deinde ligamenta, et tum partes molles afficiunt, diducta est; et vice versa. Morbus igitur vel in ossibus, vel ligamentis quæ articulum constituunt, incipere potest; sæpius verò fortasse in ligamentis. Exempla tamen accidunt, quæ generaliter, sed impropriè, nomen nostri morbi accipiunt, in quibus ossa non male sese habent. In iis, morbus extra articulum in mollibus sedem capessere, et tumor de crassitudine morbidâ et valde auctâ partium pendere, videtur. Illa exempla sunt, veri est simile potius speciei Rhumaticæ quàm Scrofulosæ.

Hic morbus plerumque artus majores, sicuti genu, cubitum, carpum, aut malleolum corripit; eorum tamen genu sæpius adoriri videtur. Effectibus ejus igitur in artu genu attentionem nostram præcipuè dirigemus.

Huic morbo juvenes potius quam ætate provectiores obnoxii sunt. Quibusdam equidem dictum est, adultos vix, aut ne vix quidem, hoc morbo laborare, nisi prius ætate ineunte eo impliciti essent. Dominus Cooper, qui morbum esse Scrofulosum, ossibus affectis, credit, quòd si homo ad ætatem usque viginti quinque annorum vixerit sine ullo signo Scrofulæ, nunquam postea tumore albido scrofuloso laborârit, dicit. Caries ossium in hoc morbo vix, aut nunquam, accidit, nisi cartilagines et involucra articularia progressu mali perdita essent. Mutatio tamen morbida ossibus scrofulosis est, multùm verò differt a carie; ossa enim mollia et flexibilia sunt sine ulla substantiæ eorum diminutione; dum in carie disjunctio continuitatis ossis substantiæ accidit.

Ut tumor albidus ferè semper juvenes, scrofulæ proclives, et ætate florentes, invadit; ideoque scrofulæ similis, hæreditarius esse

putatus est. Quia haud rarò in illis glandulas tumidas et cicatrices priorum ulcerum videre possumus ; et præterea, materia peculiaris albida et partim coagulata, quæ ex abscessibus scrofulosis effunditur, in cavitate artûs affecti invenitur. Porrò, affinitas inter Tumorem Albidum et Scrofulam eo pleniùs confirmatur, quod in Britannia, ubi scrofula communis est, tumor albidus etiam frequens sit ; dum contrà, in Italia et Germania, ubi secundum Morgagnium mala strumosa infrequentia sunt, pauci tantummodo tumore albido laborant.

Celeberrimus Cullen *Hydarthrum*, qui morbus noster esse videtur, sic definit, "Articu-"lorum, genu potissimum, tumor parum pri-"mò eminens, cuti concolor, dolentissimus, "et mobilitatem imminuens." Quæ definitio, etiamsi optima, Hydropem tamen artûs significat.

DE SIGNIS.

Morbus plerumque sensu infirmitatis artûs præcipuè post exercitationem incipit; qui hominem inducit, ut ejus attentionem artui dirigat, quem potius generaliter plenum, quàm tumidum videt. Adest ibi molestia quasi post exercitationem nimiam, et vix dolor. Illa molestia quiete et otio evanescit, tempestate injucundâ et frigidâ revertitur; dum interea homo aliter se bene habet, appetitu et viribus integris.

Interdum dolor ab initio urget, et progressu morbi magis magisque vehemens et perpetuus fit; interdum vero certis intervallis se remittit. Plerumque locum occupat circumscriptum vel in centro artûs, vel in capite tibiæ; ibi tactu dolet, et calor major est. Quanto

dolor, frequentior et violentior fit, tanto artus major; calore lecti etiam multum intenditur. Ex irritatione perpetuâ, febriles accessiones oriuntur, quæ vespere superveniunt, et tandem naturam febris hecticæ veram induunt.

Glandulæ inguinis aliquando tument. Pondus enim corporis in ambulando dolorem intendit; unde æger terram digitis pedis tantummodo premat; hinc genu ferè paululùm flexum, eodem tempore remanet, et vix unquam postea extendi potest.

Distentio magna summæ cuti aspectum lævem et nitidum dat, et propter mollitiem totius artûs, humor intùs tactu fluctuare videtur. Venæ sub cute dilatatæ sunt. Tumor integumentorum ideam suggerit caput ossis tumidum esse, quod ferè non ita est, neque tactui cedit, nec foveam ostendit.

Sensus alicujus crepitandi, quasi aër in parte circumscripta membranæ cellularis continere-

tur, interdum circiter caput tibiæ accidit, quod equidem progressu morbi evanescit.* Malo perstante et aucto, femur et crus macrescunt: ideoque tumor artûs evidentior, evadit; abscessus circum genu formati, res quas contineant, per foramina exulcerata cutis effundunt quæ sæpe sanantur, et paulo temporis vel iisdem in locis, vel in aliis, ora iterum aperiunt.

Tempus, quo materia purulenta intus colligatur, plurimùm differt; in aliis exemplis intra perpaucos menses ab initio mali; in aliis, non, nisi post multos annos, formatur.

Æger versus finem morbi tabescit, pulsus frequens et debilis, sudores nocturni, diarrhœa debilitans, aliaque signa hecticæ febris superveniunt; et brevi, mors finem doloribus ejus imponit.

---

* Russell's Treatise on the Knee Joint, p. 29.

Progressus morbi multùm variatur, et de constitutione pravâ vel sanâ pendere videtur; in quibusdam, morbus intra sex menses signa omnia sibi propria percurrit; dum in aliis, constitutione corporis parùm læsâ, bis ille numerus annorum in cursu ejus elapsus est. Dominus Russell genus eorum prius relaxatione et debilitate quadam comitatum esse, sæpius observavit. Itaque casus insignes hujusmodi, quos illi contigit videre, puerperis acciderunt.

In casibus adeo vehementibus et brevibus, cadavere inspecto, mutatio ab integra ad morbidam structuram, ut expectare necesse erat, non ita evidens, ut in specie chronica fuit.

DE INCISIONE CADAVERIS.

In tumorem incidendo, massa tumefacta ex partium mollium incremento extra artum oriri invenietur. Hæ, mutationem structuræ haud parvam subiisse, apparebunt, substantia cellulari molliore et spissiore, atque quantitatem solito majorem humoris viscidi et glutinosi continente; qui albumini ovi similis est, materiam habenti Scrofulæ peculiarem, partim coagulatam filisque quibusdam tenuibus albis mistam.

Si morbus diu perstiterit, tumor firmior erit, et penè cartilagini molli similis, atque aspectum æqualem habebit. Cutis quoque firmior, crassior, sensu minore prædita erit, et colori similis, quem Elephantiasis ostendit. Ligamentum capsulare plerumque mutationem structuræ magnam subiit: fabrica ei

naturalis firma deest; quanto laxior, tanto spissior fit. Superficies ejus externa est albidi et opaci coloris pro nitido. Facies interna ligamenti quoque generaliter cooperta membranâ adventitiâ, molli, semipellucidâ, et subflavâ, inventa est; hæc substantia ligamento, cui adhærescit, proxima firmior est, atque ad artum versus mollior. Cavitate artûs in conspectum illatâ, raro multum humoris ibi videmus; atque is qui invenitur, plerumque sero similis, rebus partim coagulatis ibi natantibus mixto, et vix, aut ne vix quidem, pus sincerum est.

Si morbus diu extiterit, cartilagines quæ superficies articulares tegunt, ferè semper læsæ fuerunt; præcipuè, quæ caput tibiæ obducit, ea consumpta et perdita esse invenietur. Hæc consumptio primò margines cartilaginum afficit, deinde sensim in centrum irrepit; donec caput ossis nudatur, vel parva pars in medio tecta solummodo relinquitur. Con-

sumptio tibiæ major, quàm femoris est; et morbo longo non cartilaginem solùm corrodit, verum in osse etiam fodinas exulceratas excavat. Hoc tamen morbo brevi raro accidit.

Fines ossium nunquam tument, aut solito majores fiunt, ut olim putatum est; interdum tamen super eos materia ossea deponitur, unde in magnitudine increscant, quo Chirurgis quibusdam fines ossium tumefactos esse, persuasum est. Cartilagines ossis femoris raro perditæ sunt, et os quidem ipsum in exemplis pessimis parcè corroditur. Condyli vix unquam aucti, etiamsi minimè sani sint, inveniuntur: molliores autem, ut Dominus Russell observavit, scalpello enim vel cuspide facillimè penetrari possunt.

Patella profundè inter partes tumidas latet, atque idcirco in magnitudine minui videtur, quod ita non se habet; cartilago verùm, quâ tegitur, morbida et soluta quasi, inventa est.

In junioribus aliquando, ligamentis, &c. morbo perditis, crus actione musculorum femoris flexorum partim luxatur; quod tamen rarissimè accidit. Ligamenta sæpius resoluta et distenta sunt, et dein, si artus non valde tumet, crus a latere uno ad alterum sine laceratione ligamentorum lateralium, flecti potest. Cui motui artûs præter naturam mollites extremitatum ossium, verisimile est, favet.

DE CAUSIS.

Causæ Tumoris Albidi in tenebris obscuris sæpe includuntur. Malum enim haud rarò sine causa evidente accedit, cui origo ejus attribueretur. Scrofula certè causa est frequens, quæ tumori albido proclivitatem dat, minimè vero inter Chirurgos constat Tumorem Albidum semper Scrofulâ niti, vel cum ea conjungi, ut interdum putatum est.

Speciem igitur Tumoris Albidi unam, præcipuè in Continenti Rheumatismo niti, observatum est; idem fit, sed multo rarius quidem, verisimile est, in Britannia. Hinc species Scrofulosa et species Rheumatica, ut verisimillimum est, e constitutione ægri vitiosâ vel integrâ ex toto pendent. Itaque cum morbus noster ægrum habitu scrofuloso imbutum invadit, scrofula exasperatus formam graviorem et multo pejorem induit: contrà, cum ægrum habitu integro sive scrofulâ libero, multo lenior, aptiorque curatu erit. In Britannia igitur, ubi scrofula adeo communis est, rationem cur natura Tumoris Albidi gravior, vel magis inveterata sit, explicare possumus; quàm in Italia et Germania, ubi Scrofula multo rarior, et ubi Tumor Albidus lenior est, et sæpius Rheumatismo comitatur.

Casus quidem rari et inordinati subinde apparent, non Scrofula comitati; et nihilominus inveterationem induunt ita magnam, ut

remediis omnibus nostris obsistant. Hi attentionem summam meritò postulant. Sed fatendum est tamen, alios habitus esse corporis, de quorum natura propria parum aut nihil adhuc cognitum est, qui non minus, quàm Scrofula morbos quodammodo mutare, et in pejus convertere, conferant.

Causæ Tumoris Albidi in nostra patria frequentissimæ sunt quæ, cum habitui strumoso accidunt, morbos Scrofulâ imbutos excitent. Hinc quòd in eo habitu inflammationem vel statum morbidum et irritabilem in artu genu movere possit, id malum convertere in Tumoris Albidi formam violentem aptissimum erit. Causæ verò inflammationis et irritationis sæpe adeo leves sunt, ut haud rarò attentionem ægri evitent; idcirco malum sine causa ulla evidente oriri putatur. Corpore frigori et humori exposito, vel ictu leni vitium in habitu proclivi orietur; quod, proclivitate absente, morbum valde lenem movisset, et remediis idoneis facillimè cessisset.

In memoria etiam tenendum est, irritationem et inflammationem artûs in habitu Scrofulâ imbuto multo facilius moveri, quàm in aliis; quo fit, ut Tumor Albidus multo sæpius scrofulâ imbutis acciderit.

Præterea, si causæ, quæ ferè morbum nostrum movent, homini Syphilide imbuto applicantur; artus inflammatione tentatus, actionem Tumori Albido peculiarem induet, formamque malam sibi assumet; cujus curatio Hydrargyro efficienda est.

DE PROGNOSI.

Prognosis ferè semper infausta est; quanquàm enim morbus remediis idoneis sub initio strenuè et ritè adhibitis, cedat; causa tamen magna est metuendi morbum ictu quodam fortuito in idem genu, vel mutatione quadam infelice constitutionis rediturum esse. Quanto

junior tamen æger est, tanto certior curatio erit; in junioribus enim solummodo Anchylosis, etiamsi perrarò iis quidem accidat, ut fausta terminatio morbi, expectanda est. Maximi momenti est morbo apud initium occurrere; postquam enim metam certam præterierit, ars medicinalis nihil valebit, nisi membrum exscindatur.

Si æger habitu scrofulâ imbuto, vel aliter vitioso præditus est, si ætate provectus, prognosis infaustissima est; et metuendum conatus omnes nostros curationem efficiendi frustra futuros esse.

Anchylosis tamen non fieri potest, nisi cartilagines articulares inflammatione longa et suppuratione perditæ fuerint; valetudo igitur et vires ægri plerumque ex toto labefacta sunt; ideoque ille, ut victima, morte prematurâ, cadet, priusquam processus, quo Natura curationem efficere volebat, ad finem productus fuerit. Quanquàm enim Anchy-

losis, quippe quæ in formâ morbi gravissimâ semper maximè exoptata sit, artum immobilem reddat, nihilominus et vitam et membrum ægri conservat. Progressu hoc superveniente, omnia signa, quæ antea urgebant, se paululum remittunt, dolor nimirùm tolerabilior, et tumor minor fit; et si constitutio ægri integra sit, signa febris hecticæ etiam abscedunt, et sub fine dolor et molestia artûs ex toto evanuerunt. Membrum extentum tenere utile erit, dum Anchylosis in progressu est.

DE DIAGNOSI.

Tumor Albidus cum Hydrope artus genu, Podagra, et Rheumatismo confundi potest, sed signis et progressui, quæ utrique morbo propria sunt, attentionem convertendo, diagnosin sine difficultate statuere possumus.

In Hydrope, si magna est accumulatio humoris, crus ita extendendo ut ligamentum Patellæ relaxetur, latusque patellæ premendo, humor sub osse transibit, idque elevabit, et sensum fluctuationis faciet. In hoc malo quoque dolor latiùs tendit, leniorque est, tumor etiam celeriter increscit. Præterèa, Hydrops Artûs plerumque relaxatione aut debilitate febres &c. subsequente, originem ducit. Huic aliisque signis animum advertendo diagnosin rectè statuemus.

Tumor Albidus a Podagra distingui potest signis podagræ propriis ; ante Podagræ paroxysmum adsunt plus minusve Dyspepsiæ, languor et lassitudo generalis ; torpor et spasmus crurum ; et præterèa dolor in eodem artu vel in artûs eodem loco neque semper fixus, neque perpetuus est ; et porrò, habitus ægri inter sese plurimùm differunt. Omnia hæc satis superque sunt ad diagnosin statuendum.

In Rheumatismo simplice adest Pyrexia; dolor fugax est, et modo hunc, modo illum artum occupat, et artu affecto tumefacto lenior fit; his accedebat rubor artûs. His signis perpensis diagnosis inter Tumorem Albidum genu et Rheumatismum facilis erit.

Utile sit quoque mentionem facere de signis, quæ speciem Scrofulosam specie Rheumatica nostri morbi dignoscant. In specie Scrofulosâ pars circumscripta artûs dolet, et dolor tumore superveniente se paululum remittit: in specie Rheumaticâ contrà dolor nunquam ut dicitur, sine tumore accidere, neque se remittit cum pars affecta tumet; et prætereà totum artum multo latiùs afficit.

DE CURATIONE.

Tumor Albidus in formâ chronicâ vel acutâ apparet. Forma chronica sæpe, ægris ambulantibus artumque affectum imprudentèr irritantibus, in acutam convertitur. Cum forma acuta adest, cutis tenera et solito calidior tactu dolet. Remedia igitur antiphlogistica statim adhibenda, quorum optima est detractio sanguinis ex artu dolente. Hirudines decem vel quindecim artui affecto applicatæ ad inflammationem minuendam bene respondent; quippe quæ multo minus irritationis moveant, quàm cucurbitula cum ferro; et morsibus hirudinum fomenta calida postea applicanda sunt, ut sanguis copiosè eliciatur. Hirudines iterum iterumque pro re nata repetantur. Inflammatione eo modo penè subactâ, refrigerantia, sicuti Solutio Acetatis

Plumbi, vel Muriatis Ammoniæ cum Aceto, artui dolenti applicata, inflammationis reliquum minuunt, suppurationem prohibent, et actionem vasorum absorbentium promovendo, tumorem artûs, si humore effuso nititur, minorem reddunt.

Panni iis lotionibus madefacti semper artui applicandi, et quoties aridi fiunt, iterum madefieri debent.

Dum ea remedia artui affecto admoventur; alia, quæ alvum solvunt, sicúti sales medii, Supertartris Potassæ, Infusum Tamarindi Indicæ cum Cassia Senna, et similia, magno cum commodo adhibeantur. Dieta nutriens, sed simplex, esse debet. Stimulantia tamen cautè evitanda sunt.

His rebus, signa omnia ex inflammatione pendentia evanescunt, et curatio morbo leni perfecta est. Hoc autem raro accidit; quanquàm enim inflammatio acuta submota sit,

chronica tamen restat, morbumque diutiùs exasperat.

In exemplis quibusdam Domino Russell descriptis, quæ sine inflammatione multâ inceperunt, sed tumore artûs subitò crescente cognita sunt; a relaxatione potius quàm inflammatione pendere visa sunt. Hinc ille Chirurgus peritissimus stimulantia, et astringentia vel regni vegetabilis, vel mineralis artui altè dolenti efficacissima invenit. Omnium, decoctum corticis quercûs, cui adjectum est Sulphas Aluminæ, utilissimum esse experientiâ inventum est.

Fomenta calida tamen alleviationem pro tempore solummodo ferunt. In Gallia equidem, ubi morbus hic plerumque lenis, eorum usus summis laudibus elatus est; et chirurgi ibi multa exempla citant, in quibus curationem iis rebus effecerunt. Panni lanei decocto Anthemidis nobilis, vel capitum papaverum,

vel aquâ maris calefactâ madefacti et aliquantulùm compressi, artui affecto quam calidissimi applicari; et alii calidiores aliis frigidioribus supervenire, debent, semel per horæ dimidium.

In usu est intervallis inter fomenta, artum inungere axungiâ, vel oleo olivarum, vel oleo camphorato, vel tincturâ Saponis cum Opio; his, artus per horas duas tresve quotidie perfricandus est, quo absorbentia ibi in actionem solito majorem stimulentur. Frictio sicca, id est sine oleo, in usu frequente est quoque, et sæpe maximo cum commodo adhibetur; ferè semper tumorem minuit, et curationem, etiam exemplis in gravioribus, interdum efficit.

Hydrargyrus olim in curatione Tumoris Albidi adhibitus est notione, quod labe venereâ exortus sit; experientia verò nos hodiernos docuit eâ causâ rarissime niti. Exempla quidem pauca fuerunt, in quibus omnia remedia solita spem curationem facientis frus-

trata sunt: et tandem, signis Lui Venereæ propriis sese alibi ostendentibus, Hydrargyrus administratus est, cui morbus artûs genu cessit, et curatus est.*

Electricitas sub formà Galvanismi in curatione adhibita est, sed plerumque sine ullo commodo: utilis esse visa est præcipue in malis chronicis et ignavis, et etiam postquam curatio effecta esset, sed cum artus adhuc rigidus remanebat: tum primo scintillas ex artu et musculis vicinis educere, deinde impetus fortiores, sed adhuc lenes, adhibere utilissimum. His rebus æger interdum usum artûs liberum recuperat.

Chirurgi omnes, summis laudibus emplastra Meloës Vesicatorii artui genu applicata commendant. Aliis ea prodesse humorem detrahendo; aliis, irritationem incitando sedi mor-

---

* Latta's Surgery, vol. 1st, p. 189.

bi contrariam, quâ derivatio fiat, persuasum est.

In statu morbi confirmato, emplastra Meloës Vesicatorii remedia sunt præcipua, quibus fiducia ponatur. Duobus modis applicanda sunt. Dominus Crowther, Emplastrum adeo amplum commendat, ut totum genu obtegat, applicari; et cuticulâ erasâ ex parte, humor ope unguenti acris, sicuti Cerati Sabinæ, eliciendus est. Contrà, emplastrum uni lateri applicare commendatum est; et dum pars exulcerata sanatur, alterum emplastrum lateri genu alteri imponere, et hoc modo alternatè usque dum stimulis perpetuò succedentibus morbus cedat.

Sunt utriusque modi fautores; sed emplastrum amplum toti genu applicatum, optimos effectus producere, plurimum humoris educendo, visum est. Hoc igitur nunc plerumque in usu est. Ita methodus optima est nostra in opinione emplastrum Meloës Vesi-

catorii amplum toti genu imponere; et, cuticulâ exulceratâ et submotâ, pars Cerato Sabinæ tegenda est, et quotidie, vel bis in die cautè tergenda. Ceratum Sabinæ in usum venit pro Unguento infusi Meloës Vesicatorii, propterèa quòd Dysuriam nunquam movet.

Hæc methodus morbum tractandi continuanda est usque dum dolor et tumor evanescunt; atque efficacissima est in iis exemplis, ubi ea signa maximè urgeant; abscessus quoque, qui formati sint, curatura est. Interdum difficile est fluxum humoris e parte exulceratâ effusi perpetuum tenere; tum fonticuli Nitrate Argenti aperiantur, utroque latere artûs genu unus, cujus diametro digitum transversum cum dimidio longo, illi duo fonticuli naturam ulcerum induunt, et semper humorem vel pus effundunt.

Constitutiones tamen ita irritabiles aliquando visæ sunt, ut emplastra Meloës Vesicatorii non tolerabilia essent; hinc nos cura-

tionem vel frigidis vel calidis artui applicatis, otio membri, frictione, pressurâ fasciæ communi in usu, aut ope stuporum adhæsivorum, tentare oportet.

Attentionem quoque præcipuè viribus ægri, febrique hecticæ convertendum est. Cum Diarrhæa urget, ut haud rarò fit, dosibus Opii pro re nata repetitis, occurrenda ; quod eodem tempore irritationem minuat, somnumque invitat. Pulvis Cinchonæ Off. et Acidum Sulphuricum Aromaticum ex usu sunt ad sudores nocturnos compescendum, genusque nervosum et corpus universum roborandum.

Quoniam Tumor Albidus sæpe Scrofulæ jungitur, remedia ei utilissima adhibenda sunt, sicuti balneum in mare, aër maritimus, et cætera.

Morbo natura ægri constitutionis adeo exasperato, ut remediis omnibus nostris obsistat, nihil restat, nisi membrum ferro excindere.

Chirurgi peritissimi tamen ab hoc abstinere suadent quamdiu constitutio morbum patiatur; propterèa quòd mutatio subitò interdum accidit, et æger postea convalescit. Hoc certè est, quod non a priore causam expectare habuerimus. Si enim ratiocinationi solum confideremus mutationem salutarem adeo raram esse, et constitutionem antea adeo multum quassatam diceremus, ut recuperatio sanitatis semper tarda atque incerta esset.

Contrarium verò experientiâ quotidianâ probatur; ægros enim videmus, qui summæ debilitati febre hecticâ redacti sunt, quòd, ut adstantibus visum est, vix operationem membrum excindendi ferre potuissent; et nihilominus amputationem subire, et postea sanitatem viresque brevi tempore recuperare.—"I have known," inquit celeberrimus Johannes Hunter, "a hectic pulse at 120 sink to "90 in a few hours, upon the removal of the "hectic cause; I have known persons sleep

"soundly the first night without an opiate, "who had not slept tolerably for weeks be- "fore; I have known cold sweats stop im- "mediately, as well as those called colliqua- "tive; I have known a purging stop imme- "diately upon the removal of the hectic "cause, and the urine drop its sediment."

Itaque amputatio membri differri ad ultimum debet, id est, tamdiu quàm constitutio vires vitæ sine periculo conservare valet.

FINIS.